

## Other Labors of Hercules

Hydrā occīsā, Eurystheus, timōre perterritus, Herculem jussit cervum quendam reportāre. Hic cervus, quī cornua aurea, aereōs pedēs gessit, celerrimē cucurrit. Herculēs, ubi in silvīs cervum vīdit, summīs vīribus currere incēpit, neque tempus ad quiētem relīquit. Tandem, postquam tōtum annum cucurrit, bēstiam cursū exanimātam captāvit et vīvam ad rēgem Eurystheum reportāvit.

Hōc tertiō labōre cōfectō, Eurystheus aliōs labōres imperāvit in quibus Herculēs cēpit animālia quae hominēs laesērunt. In quārtō labōre Herculēs summā difficultāte aprum laqueō implicātum ad rēgem dūxit. In sextō labōre deā Minervā adjuvante, avēs Stymphālidēs, quae rostrīs ātrōcibus acūtisque unguibus hominēs oppressērunt et multōs dēvorāvērunt, sagittīs mortiferīs dēlēvit. Hīs avibus interfectīs, Herculēs in septimō labōre bovem, magnā difficultāte captum, vīvum ex īnsulā Crētā ad Graeciam rettulit. Quō factō, octāvum labōrem

Narrative Reading  
Lesson 15

Herculēs suscēpit. Equōs Diomēdis, quī carne hūmānā  
vīxērunt, superāvit et eōs ad Eurystheum dūxit.

Quīntus labor autem mente, nōn vīribus, cōnfectus est.  
Herculēs stabula rēgis Augēae, quae trīgintā annōs nōn lauta  
erant, pūrgāvit. Duōbus flūminibus per stabula conversīs,  
Herculēs opus ūnō diē facile cōnfēcit.